



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Quo vitæ tempore instituerit Baptismum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

te Christi mortem non fuisse in usu formam sub expressa inuocatione Trinitatis, sed tantum sub nomine Christi: quam formam durasse putat aliquo tempore post Christi Ascensionem. Sed de hoc posteriori infra videbimus, illud autem prius nullum habet fundamentum, sed verisimilius est, Christum a principio institutionis tradidisse formam perpetuo duraturam: alio qui reuera non plene instituit sacramentum. Neque oportebat statim in initio institutionis uti dispensationibus, eo vel maxime, quod iam

Matth. 3.
Et Ioan. 3.

Cur post resurrectionem dicitur Christus a baptizatis esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Cur Baptismus non aperuerit ianuam regni ante Christi mortem.

Rom. 6.

autem esse consummata & completa post Christi mortem, sicut etiam de sacramento Eucharistiae infra dicendum. Adde etiam quoad usum & dispensationem sui, fuisse consummatam hanc institutionem post resurrectionem duplici ratione. Primo, quia tunc est facultas data Apostolis, imo & lex baptizandi omnes gentes. Secundo, quia iplis gentibus & omnibus hominibus datum est praeceptum suscipiendi Baptismum. Unde ex tunc coepit esse medium ad salutem necessarium, quod antea non habuerat, de qua re dicturi sumus latius inferius in disputationibus moralibus.

Ad primum fundamentum primae sententiae iam responsum est, & declaratum, quomodo forma Baptismi, Christo iubente, data fuerit. Ad secundum vero ex Patribus Leo Pap. exponi potest de generali potestate, seu praecepto baptizandi. Rupert. vero & ceteri ibi citati commode exponi non possunt, tamē quod diximus, probabilius est.

Ad fundam. 1. Sentent.

SECTIO II.

Quo tempore vite suae Christus Dominus Baptismum instituerit.

Curum in primis est, Christum Dominum non instituisse Baptismum suum antequam ipse baptizatus fuerit a Ioanne, in quo conveniunt omnes Theologi & Patres citandi. Quia, ut constat ex Luc. 3. & Act. 1. Christus Dominus non coepit praedicare ante Baptismum suum: ergo neque antea inchoavit legis novae aut sacramentorum eius institutionem. Rursus ex dictis in praecedenti sectione constat, quando Apostoli baptizabant, Ioan. 3. & 4. iam Baptismum fuisse institutum, quia ut ostendimus, baptizabant Baptismo Christi, illud autem tempus non multum abfuit a Baptismo Christi: quia nondum Ioannes fuerat missus in carcerem, sed baptizabat, ut constat ex citatis locis Ioan. Hinc Richar. in 4. d. 3. ar. 5. q. 1. dixit, tunc Baptismum fuisse institutum, quando Apostoli baptizare coeperunt, sed si attente res consideretur, cum Apostoli non fuerint authores, sed ministri baptismi, necessarium fuit, sacramenti institutionem, eorum ministerium antecedere, quia minister non potest tradere sacramentum, nisi ritus eius traditus illi sit ab institutore. Quare Scotus eadem distinct. q. 4. & Gabr. q. vnic. ar. 3. dub. vlt. recte inde concludunt, baptismum fuisse institutum ante illud tempus, atque adeo infra paucos menses post Christi baptismum, quamvis praecise dies & hora institutionis ignoretur, quia nihil de ea re scriptum est, neque aperte traditum. Aliis vero videtur, quod sicut Christus instituit sacramentum Eucharistiae cōficiendo, & offerendo, ita instituit sacramentum baptismi, cū primum aliquem manibus suis baptizavit. Sed quāvis hoc ita esse potuerit, tamen ita incertum est, ut affirmari non possit: quia ex vno facto Eucharistiae non potest argumentum sumi ad alia sacramenta: quia nec Confirmationem, neque vñctionem eo modo instituit, neque alia sacramenta.

Christum Dominum non coepit praedicare ante baptismum suum: ergo neque antea inchoavit legis novae aut sacramentorum eius institutionem.

Non multum abfuit a Baptismo Christi: quia nondum Ioannes fuerat missus in carcerem, sed baptizabat, ut constat ex citatis locis Ioan.

Christus dicitur instituisse hoc sacramentum eo ipso die, quo baptizatus fuit a Ioanne: Ita sentit D. Tho. hic. & Mag. d. 3. quos alij Theologi supra citati sequuntur. Et explicatur in hunc modum, nam tunc Christus designavit materiam baptismi. Nam, ut ait Ambr. l. 2. in Luc. c. vlt. in principio baptizatus est Dñs, non mundari volens, sed mūdare aquas, ut abluta per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis ius haberent, id est, aptae essent, & designatae ad baptismum. Quod eleganter explicuit Au. ser. 36. de tem. dicens: Filium genuit Mater, & casta est: Christū vnda lavit, & sancta est, nā sicut post partū glorificata est Mariae castificatio: ita post baptismū aqua est purificatio cōprobata, nisi quae penē maiori munere quā Maria, vnda ditata est. Illa nō sibi tantum mē fuit castitatem: ista nobis contulit sanctificatio.

August.

stificationem: illa meruit, ne peccaret ista, vt peccata purgaret: illi collata virginitas, isti donata fecunditas. Eandem sententiam habet Beda li. i. in Luc. c. 10. dicens: a quas ablutas per carnem Christi peccati neficiam Baptismi inuoluit, & vim regeneratiuae sanctificationis concepit. Hier. etiam Matt. 3. dicit: Christum coraculo suo aquas sanctificasse. Deniq; hinc manauit vulgare illud Theologorum elogium. Christu contactu suo virtutem regeneratiuae aquis contulisse. Quae virtus exstimanda no est fuisse qualitas aliqua aquis impressa, sine fundamento fingeretur, & vix esset intelligibile: fuit ergo deputatio quaedam illius materiae ad vsum & effectum Baptismi: hoc autem pertinet ad sacramenti institutionem ex parte materiae.

*In eodẽ Christi baptis-
ma forma de-
signatur.
Ambr. &
Hieronym.
Damasc.*

Hilar.

*Greg. Naz.
Effectus etia
Baptismi in
illo Christi
baptismo
significatur
Hieronym.
Augustinus.
Hilar.
Chrysost.
Theophyl.*

Dubitatio

Deinde in eodem Christi Baptismate designata fuit huius sacramenti forma: nam & Filius baptizandus adfuit, & Pater illi testimoniũ dedit, & Spiritus sanctus in specie columbae apparuit: vt notarunt Ambr. & Hier. citatis locis: idemq; Hier. Dialo. contra Lucifer. non longe à princ. & Damasc. li. 4. de fide, c. 10. vbi ait Christum fuisse baptizatum, Vt Trinitatis mysterium aperiret, & nobis suscipiendi Baptismi formam atq; exemplum sese praeberet, & infra: Quod Spiritus sanctus corporea specie inlar columbae ad Dominũ descendit, eare Baptismi nostri primitias subindicauit: Sic et Hilar. c. 2. in Match. Exempla inquit, sui auctoritate humanae salutis sacramenta consummat, hominẽ & assumptione sanctificans, & lauacro. Atq; eodem modo Gre. Naz. Orat. 40. dicit, Christum Baptismo suo, nostram ex Baptismo spiritualem natiuitatẽ honorasse. Præterea, in eodẽ mysterio significat fuit effectus Baptismi. Nam, vt Hier. ait Matth. 3. Per descensionem colubæ, Spiritus sancti in lauacro credentium monstrauit aduentum. Et Au. li. 3. de Mirab. sacrae scrip. c. 7. dicit: Apparuisse columbã, & caelum apertu fuisse, vt Baptismi sacramentum, qd valeat, ostenderetur. Vnde Hila. supra, & Chry. Hom. 4. in pfecti. Theo. p. Luc. 3. & alij notant, per caeli apertionẽ, qm Christi Baptismate apparuit, significatu esse, per Baptismi sacramentũ aperiendam fuisse fidelibus ianuã regni caelestis. Ergo oia, quae ad Baptismi institutionẽ pertinere poterãt, in illo mysterio inueta sunt.

In hac vero communi sententia solum animaduertendum occurrit, ex prædictis omnibus ad summum haberi in Christi Baptismate fuisse quoddam mysterium, præsignificans sacramentum Baptismi à Christo dandum, & quasi promittens eius institutionem iam proxime instantem: ex hoc autem non potest inferri, tunc fuisse institutum: quia institutio requirit impositionem talis caeremoniae exterioris ad significandum, & conferendum sacramentalem effectum: hæc autem impositio requirit in primis absolutam & efficacem Christi voluntatem, qua decreuerit: vt ex eo tempore ablutio exterius facta cum tali inuocatione Trinitatis habuerit talem significationem, & efficaciam. Deinde, necessarium etiam videtur, quod Christus hanc suam voluntatem exterius manifestauerit, atq; de ea re stabilem legem tradiderit: quia institutio hæc debet esse exteriõr & sensibilis, quia est respectu Ecclesiae visibilis. Sicut quando Christus Eucharistiam instituit, & ritum externum conficiendi illud sacramentum docuit, & exercuit, ac præterea addidit illa verba: Hoc facite in meam commemorationem, per quã completa & consummata fuit institutio. Non comitat autem, Christum, aut illa hora, aut illa eadem die, qua baptizatus est, & habuisse prædictam voluntatem, & illam stabili lege declarasse. Quin potius, cum nondum prædicationẽ suam inchoasset, nec discipulos haberet, non videtur verisimile. Respondetur, hanc sententiam asseretẽm Christum instituisse sacramentum Baptismi, quando ipse baptizatus est: non esse in hoc rigore intelligendam, qui in obiectione indicatur: quia quod hoc recte dicit Scotus, non posse certo definiri diem & horam, in qua Christus Baptismum instituit, effica-

riter decernendo, vt ex tunc haberet suam significationem, & virtutem: hoc enim reuera non colligitur ex his omnibus, quae in Baptismo Christi acciderunt, vt probat obiectione facta, nec sancti Patres in hoc sensu loquuntur: igitur mens eorum solum est, tunc indicatum esse materiam & formam huius sacramenti, & paulo post, tempore opportuno, vel facto vel verbis, vel vtroq; simul tradidisse Christum hanc institutionem. Et fortasse ab ipsa hora sui Baptismi habuit Christus deliberatam voluntatem, vt ex tunc sacramentum Baptismi haberet efficaciam, quamuis eam hominibus non statim declarauerit: sed hoc incertum est, neq; ab vllõ hominum sciri potest, cum non sit reuelatum.

ARTICVLVS III.

Vtrum aqua sit propria materia Baptismi.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod aqua non sit propria materia Baptismi. Baptismus enim secundum Dionys. & Damas. habet vim illuminatiuam. Sed illuminatio maxime competit igni. Ergo Baptismus magis debet fieri in igne quam in aqua: praesertim cum Ioan. Baptista pronuntians Christi Baptismum, dicat. Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igni.

2. Præterea, in Baptismo significatur ablutio peccatorum. Sed multa alia sunt ablutiua quam aqua: sicut vinum & oleum & huiusmodi alia. Ergo etiam in his potest fieri Baptismus. Non ergo aqua est propria materia Baptismi.

3. Præterea, Sacramenta Ecclesiae fluxerunt de latere Christi, pendens in cruce: vt supra dictum est. Sed inde fluxit non solum aqua, sed etiam sanguis. Ergo videtur quod etiam in sanguine possit fieri Baptismus. Qui etiam videtur magis conuenire cum causa & effectu Baptismi: quia dicitur Apoc. 1. Lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

4. Præterea, sicut August. & alij dicunt, Christus in latere suo mundissime carnis vim regeneratiuam & purgatiuam contulit aquis. Sed non omnis aqua continuatur cum aqua temporis, quam Christus tetigit sua carne. Ergo videtur quod in non in omni aqua possit fieri Baptismus, & ita aqua, in qua huiusmodi adi non est propria materia Baptismi.

5. Præterea, si aqua secundum se esset propria Baptismi materia, non oporteret aliquid aliud fieri circa aquam, ad hoc, quod in ea Baptismus fieret. Sed in solemnibus Baptismis, in qua debet celebrari Baptismus, exorcizatur & benedicitur, ergo videtur, quod aqua secundum se non sit propria Baptismi materia.

Sed contra est, quod Dominus dicit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in regnum Dei.

Respondet dicendum, quod ex institutione diuina, aqua est propria materia Baptismi. Et hoc conuenienter. Primo quidem, quantum ad ipsam rationem Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam: quod maxime congruit aqua. Vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuientia, scilicet plante & animalia humida sunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.

Secundo, quantum est effectus Baptismi quibus competit aquae proprietates, quae sua humiditate lauat: ex quo conueniens est ad significandam & causandam ablutionem peccatorum. Sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris: & ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam somitis. Sua diaphaneitate est luminis susceptiua, vnde competit Baptismo in quantum est fidei sacramentum. Tertio quia conuenit ad representandum mysteria Christi, quibus iustificamur. Vt enim dicit Chrysost. super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita, vt homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur, & deinde nouus rursus ascendit.

Quarto,